



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 185. Et genu flexo ante eum illudebant ei. v. 29.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

men nihil regium haberet, & quale sceptrum haberet tale ipsius & regnum esset, nempe inane, vacuum & fragile: nec sine mysterio coronam dedere de spinis, & sceptrum de junco fragilem & ad omnem ventum agitabilem, talia enim sunt nostra regna, nostri principatus, quorum ille assumpsit insignia de nobis, ut nos de illo sumeremus constantia & æterna.

Verè Psalmista dixit, *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem*: ita ut si homo velit vel non perdat regnum, vel si non habeat, certo possit nancisci, ut cum Deo vivat & enarrat opera Domini hæc magna & mirabilia dextræ excelsi! operare & in me hanc virtutem dextræ tuæ, ô benignissime Iesu, ut non moriar, sed vivam semper tecum & regnem. Extende sceptrum tuum regium ad me & tange cor meum, ut hanc tuam illusionem, ita corde excipiam & imprimam, ut sit ei in signum æternæ gratiæ tuæ & salutis. Amen.

§. 185. *Et genu flexo ante eum illudebant ei. v. 29.*

Reges adorari solent, ut videre est apud Saulem, David & Salomonem, & alios Reges tum Veteris tum Novi Testamenti, inter quos sunt & nostri SS. Tres Reges adoratores Christi Regis recens nati, qui confessi sunt se de longinquo venire, ut adorarent Regem Iudeorum Iesum recentem natum. At duplici modo & mente adorari possunt Reges, sincera ut Magi, ficta sicuti hi milites, quorum etiam est dispar eventus. nam isti gratiam, hi iram commeriti fuerunt.

OIesu, Rex gloriæ, quantà cum ignominia modo salutaris à nefandis hominibus, quam & aliter salutaris à cœlestibus illis spiritibus Cœli illi enim te in veritate & spiritu non ficto adorant, hi scurræ te illudunt, salutantes, ut falsum Deum & regem impium. Ego ô altissime Deus, Rex cœli & terræ te humillime adoro & mille die saluto & corde contrito & humiliato orans corpore, ut me peccatorem licet indignum tua præsentia suscipere digneris in regnum tuum, qui cum patre & spiritu sancto regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

§. 186. *dicentes: Ave Rex Iudeorum. v. 29.*

Notandum Christum Dominum bis in sua Passione salutatum nequiter semel sub simulationis larva, per Iudam traditorem cum dixit: *Ave Rabbi*, in hortu ut citius caperetur. At hic in Aula Pilati aperta falsitate & contumelia à militibus *genu flexis ante eum*, & salutatione irrisoria: *Ave Rex Iudeorum*, per quas salutationes duplices peccatores nobis occurrunt, per quos Deus maxime offenditur. Alii sunt simulatores, qui exterius se ita gerunt, quasi